



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

2

A DIE XX. APRILIS ANNI MDCCCLXVIII

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

INSTITUENDARUM.

D R I A U R T E L D T

PROFESSOR TURRICUS ORDINARII

PRAECEDET DR. FRANCISCI DITTRICH DE SOCRATIS SENTENTIA, „VIRTUTEM ESSE SCIENTIAM,”
COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNÉANIS.

1868



MDX LEGIONUM


LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSWERGENSI

LIBR. A. H. F.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D^{R.} L A U R. P E L D T,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



BRUNSWERGAE

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS.

S.

1. Ex quo Socrates, abjectis rerum naturalium perscrutationibus, omne philosophandi studium ad corrigendos componendosque mores transtulit¹⁾ et ita, ut ait Cicero, philosophiam devocavit e coelo et in urbibus collocavit et in domos etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere²⁾), doctrina de moribus bene instituendis mox ut pars philosophiae considerari et tractari coepit est. Inter quaestiones autem morales prima et ideo multum tractata ea erat, quae pertinet ad virtutis naturam ac notionem definiendum.

2. Socrates igitur, quid hac de re sentiret, ita exprimere solitus est, ut diceret, virtutem nihil aliud esse quam scientiam quandam. Atque hoc quidem illius fuisse placitum et philosophiae ejus quasi quoddam fundamentum, omnes, qui ejus doctrinam vel literis consignabant vel ore circumferentes latius propagabant, uno ore consentiunt, non item, quo sensu sit accipiendo. Licet enim observare, omnes qui ex Socratis schola prodiere discipulos alios aliter, ut quisque ingenio pollebat, hujus dicti mentem sensumque intellexisse, ita ut aliter Cyrenenses, aliter Cynici, aliter Megarici, aliter tandem Platon, inter Socratis discipulos longe maximus, hac de re sentiret et disputarent³⁾. Quum autem, ut diximus, placitum illud principium quoddam philosophiae Socratische recte dici possit, operae pretium erit, quam fieri potest brevissime ostendere, quo sensu Socrates, id quod dixit, intelligi voluerit, quo sensu ab aliis, imprimis ab Aristotele, acceptum fuerit, quae tandem sententia christiana dicto illi optime respondere videatur.

3. Quotquot de Socratis vita et doctrina scripserunt, in hoc consentiunt, solitum eum fuisse dicere illud fere, quod legimus apud Platonem⁴⁾: „ἐπιστήμη τις ή ἀρετή.“ Si vero, ut

¹⁾ Arist. de part. animal. I. 1. p. 642. Augustin. de civ. Dei VIII. 3.

²⁾ Tuseul. Disput. V. 4.

³⁾ Cf. Michelis, die Philosophie Platons u. s. w. I. 100 ff.

⁴⁾ Platon (ed. Bekk.) Menon p. 363, 2. Cf. p. 365: τὴν ἀρετὴν φρόνησιν εἶναι. Protag. p. 246, 247: ὡς πάντα χρήματά ἔστιν ἐπιστήμη, καὶ η̄ δικαιοσύνη καὶ η̄ σωφροσύνη καὶ η̄ ἀνδρεία. — Eutypthon p. 380, 12: ἐπιστήμη ἄρα αἰτέσεως καὶ δόσεως θεοῖς η̄ ὄσιότης. Protag. p. 245, 20: η̄ σοφία ἄρα τῶν δεινῶν καὶ μὴ δεινῶν ἀνδρεία ἔστιν. Cf. Laches p. 284, 20; 285, 11; 289, 1.

protinus conjicit ille, scientia quaedam virtus est, potest etiam doctrina percipi⁵⁾ et institutione atque studio augeri et perfici⁶⁾, quum praeter scientiam nihil homo doceatur⁷⁾. Et porro: si virtutes omnes sunt scientia, una tantum est virtus, quae est scientia⁸⁾, et iterum: si virtus est scientia quaedam, quod illi opponitur peccatum non est nisi ignorantia, unde consequens est, ut nemo nisi ignoranter et per inscitiam peccet⁹⁾.

4. Platon, quem optime praeceptoris sui mentem perspexisse nemo facile negat, viam nobis ostendit, qua Socrates ad doctrinam adeo paradoxam pervenerit. Cui si credendum est, Socrates ita fere ratiocinatus esse videtur: Virtus est bonum aliquod; quum autem nullum sit bonum seu, quod hic idem esse vult, utile seorsum a scientia, omnesque animae impetus atque omnes declinationes ducente prudentia ad beatitudinem tendant, imprudentia vero ad contrarium, sequitur, ut si virtus est aliquid eorum, quae consistunt in animo necessarioque utilis est, prudentiam eam esse oporteat¹⁰⁾). Haec autem ratiocinatio, ni omnia me fallunt, non tam Socratis quam Platonis esse videtur, qui quod ille semel atque iterum pro certo veroque affirmaverat et vita magis quam rationibus allatis probaverat, via aeratione firmare ac fulcire menteque comprehendere nisus est.

5. Sed jamjam libet inquirere, quid tandem Socrates cogitarit talia affirmans. Numquid opinatus est, virtutes esse actus mere intellectuales, exclusa omni voluntatis operatione? Tale quid illum cogitasse et elocutum esse, plus quam incredibile videtur. Ut paucis comprehendam, quae sentio, Socrates mente intuitus est scientiam quandam tam altam, tam vivam, tam plenam vi ac vigore, ut contineret recte velle simul et recte agere et utrumque sponte ac necessitate quadam ex se gigneret. Talem enim animi statum existere debere, in quo voluntas rectae scientiae plane subjecta plenaque esset cognoscendi et volendi agendique unitio atque harmonia¹¹⁾, non vero illa repugnantia, quae est in praesenti hominis statu.

Quaestioni huic perdifficili lucem aliquam afferunt, quae legimus in dialogo, qui inscribitur Euthydemus. Ibi enim, maxima scientiae utilitate ad bene beateque vivendum

— Arist. Eth. Nicom. III. 11, 1116 b 5: ἐπιστήμην εἶναι τὴν ἀνδρίαν. VI. 13, 1144 b 19: φρονήσεις εἶναι πάσις τὰς ἀρετάς. Magn. Mor. I. 1, 1182 a 16: τὰς ἀρετάς ἐπιστήμας ποιεῖ. Eth. Eud. I. 5, 1216 b 6: ἐπιστήμας εἶναι πάσις τὰς ἀρετάς. III. 1, 1230 a 7: ἐπιστήμην εἶναι τὴν ἀνδρίαν.

⁵⁾ Platon Menon p. 363, 2: εἰ δέ γ' ἔστιν ἐπιστήμη τις ή ἀρετὴ, δῆλον ὅτι διδακτὸν ἀν εἴη. Cf. Protag. p. 247, 1 sq. Euthyd. p. 400, 4 sq.

⁶⁾ Xenoph. Mem. II. 6, 39: ὅσαι δὲ ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὐρῆσεις πάσις μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας.

⁷⁾ Platon Menon p. 362, 363: οὐδὲν ἄλλο διδάσκεται ἀνθρωπος η ἐπιστήμην.

⁸⁾ Cf. Protag. dial., ubi longe lateque ostenditur, temperantiam, fortitudinem, justitiam, sanctitatem partes esse unius virtutis, videlicet scientiae.

⁹⁾ Platon Protag. p. 241, 12: οὐδὲ τὸ ἥπτω εἶναι αὐτοῦ ἄλλο τι τοῦτο ἔστιν η ἀμαθία, οὐδὲ κρείττω ἔντοῦ ἄλλο τι η σοφία. Cf. p. 217, 19. Sophista p. 151, 11. Hippias I. p. 442, 10. Timaeus p. 130, 16. De republ. IX. p. 460, 14. — Arist. Eth. Nicom. III. 7, 1113 b 12.

¹⁰⁾ Cf. Platon Menon p. 363, 11 sq.

¹¹⁾ Cf. Themistius, Orat. II. p. 37, 38: ὅτι μὴ ἄλλα τι τὸ φιλοσοφεῖν ἔστιν η τὸ ἐργάζεσθαι τὴν ἀρετὴν. Cf. Lassaulx, des Sokrates Leben, Lehre und Tod u. s. w. (München, 1857) S. 40.

satis cognita, quaestio oritur, utrum omnem scientiam, an unam quandam parare necesse sit eum, qui vir esse bonus beatusque velit, tum quae illa scientia sit¹²). Post longam disquisitionem, ex qua illud elucet, nullam ullius rei scientiam sive nummulariam, sive medicinam sive quacumque aliam utilem esse, si facere tantum doceat, uti autem non doceat, adeo ut si qua scientia immortales nos efficiat, uti vero immortalitate non doceat, inutilis sit prorsus, tandem Socrates subjungit: „Hac igitur scientia opus est, in qua operis et effectio et usus convenientia magis idonea, modo hoc modo illo exemplo allato, postremo ejusmodi scientiam, inquit, esse regiam artem (*βασιλικὴ τέχνη*), quae et sapientes et bonos homines efficiat¹³). Ac ne hanc quidem eam esse scientiam, quam disputando invenire studet, ex iis, quae deinceps sequuntur, appareat. Immo potius non obscure innuit Socrates, scientiam illam his in terris omnino non inveniri. Et revera summam hanc scientiam, quam convenire dicit cum virtute, soli Deo tribuebat¹⁴). Hunc enim cogitabat esse scientem per eminentiam, ens sapientissimum, qua proprietate omnia comprehendantur, quae de Deo possint praedicari, imprimis summa ejus virtus i. e. sanctitas. Sciendi volendique actus in illo convenire atque inter se congruere nec ab invicem separari posse arbitrabatur. Quotiescumque igitur affirmabat, scientem i. e. vere scientem solum Deum esse, illud simul subintelligebat, hunc esse et vere bonum i. e. sanctum.

6. Quare quum Socrates recte cognovisset, talem scientiam his in terris non inveniri minimeque propriam esse homini, harmoniamque illam cognoscendi agendique in ipso revera desiderari, aliquando vel ipse fatetur, quod statuerat de virtutis natura, quamvis in sensu absoluto et de Deo praedicatum verum sit, non plane pertinere ad homines. Quod eluet ex dialogo, cui inscriptio est Menon. Ibi enim Socrates postquam ostendit, virtutem scientiam esse ac proinde sub doctrina cadere, tamen postremo mente, qua ad summam sapientiam defixus fuerat, ad res humanas conversa, tristi quodam animo confitetur, virtutem nihil secius doceri non posse, quod non sit, qui eam doceat idque ideo, quod inveniri nequeat, qui profundae illius scientiae, quae complectatur simul virtutem, sit particeps, praceptor autem non possit esse, qui non ipse doctrina instructus sit. Quare disquisitionem terminans „si, inquit, nos in omni hac disputatione recte perscrutati sumus, virtus neque doctrina neque natura nobis aderit, verum divina sorte absque mente in eum, qui illam sortitus fuerit, influet, nisi forte quis ex civilibus talis exsistat, ut alium quoque civilem efficere possit.

¹²) Platon Euthyd. p. 415, 10 sq.

¹³) Platon Euthyd. p. 427, 17: *τοιαύτης τινὸς ἄρα ήμεν ἐπιστήμης δεῖ, ἐν ᾧ συμπέπικτεν ἀμά τό τε ποιεῖν καὶ τὸ ἐπίστασθαι χρῆσθαι τούτῳ, δὲ ἀν ποτῷ.*

¹⁴) Platon Euthyd. p. 434, 2: *ἄρ' οὖν ἡ βασιλικὴ σοφοὺς ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἀγαθούς;* K. P. *Τί γὰρ κωλύει, ὁ Σωκράτες;* — Cf. Xenoph. Mem. III. 9, 4: *σοφίαν καὶ σωφροσύνην οὐ διώριζεν, ἀλλὰ τὸν μὲν τὰ καλά τε καὶ ἀγαθὰ γενώσκοντα καὶ χρῆσθαι αὐτοῖς, τὸν δὲ τὰ αἰσχρὰ εἰδότα καὶ εὐλαβεῖσθαι, σοφόν τε καὶ σώφρονα ἔχοινεν.*

¹⁵) Platon Phaedrus p. 104, 20: *τὸ μὲν σοφὸν καλεῖν ἔμοιγε μέγα εἶναι δοκεῖ καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν.*

Quodsi extiterit, talis hic inter viventes erit, qualem Homerus ait Tiresiam inter mortuos esse, sic dicens: Inter eos, qui apud inferos sunt, solus sapit, ceteri vero umbrae volitant. Ex hac itaque ratione divina sorte virtutem esse, cuicunque adsit, appareret¹⁶⁾.

7. Quae quum ita sint, quaeret quispiam, cur tandem Socrates placitum illud tanquam agendi regulam proposuerit, quod ipse bene intellexit minime transferri posse ad res humanas; cur tandem Athenienses adhortatus sit ad studium cognoscendae veritatis, ad quam neminem unquam perventurum esse non ignoravit. Finem illis, ut verbo dicam, ostendit, ad quem omnes tenderent, sicut tribus post saeculis Dominus noster Jesus Christus nos adhortatus est, ut perfecti simus, sicut et pater noster coelestis perfectus sit¹⁷⁾, vel ut diligamus Deum ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente¹⁸⁾, metu ponens, ad quam curramus, finemque ostendens, ad quem pro viribus niti oporteret, quamvis eum non lateret, praecepti hujus pondus hominum exceedere vires¹⁹⁾. Similiter et Socrates, ut diximus, finem proponens, quo tenderent, cives suos admonuit, ut illi operam navarent scientiae, quae simul cum cognitione et facultatem tribueret recte agendi, verum autem hominum statum respiciens, omnem curam ac diligentiam adhibuit, ut animos hominum ad veri honestique studium incenderet eosque omnes res doceret, quas scientes existimavit reddere bonos, nescientes vero malos et servos²⁰⁾, perfectumque sibi opus esse duxit, si quis satis cohortatione sua esset concitatus ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis²¹⁾. Neque enim potuit credere, doctrinam hanc inutilem prorsus fore nihilque collaturam esse ad vitam hominum bene conformandam, immo persuasum habuit, quo quis proprius accessisset ad veram illam scientiam, eo magis et bonum et justum eum futurum²²⁾. Nihil enim in homine melius potentiusque esse scientia²³⁾, et si nihil ea potentius, omnes animi appetitiones facile ei ob temperaturas, ideoque cum ipsa omnes simul virtutes adfuturas esse²⁴⁾. „Esse eam praeclarum aliquid et in homine principem, ita ut, si quis bona malave discerneret, nunquam ab alia re induci posset, ut aliud, quam quod scientia jussisset, susciperet agendum“²⁵⁾. Et si fieri posset, ut homo ad claram ac dilucidam veri et boni cognitionem, plenam, ut ita dicam, intuitionem ac visionem (*θεωρίαν*) summae veritatis perveniret, hunc jam non aliter quam secundum illam scientiam agere posse. Liceat hic

¹⁶⁾ Platon Menon p. 389, 1 sq.

¹⁷⁾ Matth. 5, 48.

¹⁸⁾ Matth. 22, 37.

¹⁹⁾ Cf. Augustin de spir. et lit. c. 36. Bernh. sermo 50 in Cantica.

²⁰⁾ Xenoph. Mem. I. 1, 16: καὶ περὶ τῶν ἄλλων, ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ ἀγνοοῦντας ἀνδραποδάδεις ἀν δικαιώς κεκλήσθαι.

²¹⁾ Cicero de orat. I. 47, 204.

²²⁾ Platon Cratylus p. 9, 3: τοὺς μὲν πάντας χρηστοὺς πάντας φρονίμους, τοὺς δὲ πάντας πονηρούς πάντας.

²³⁾ Platon Protag. p. 230, 13: σοφίαν καὶ ἐπιστήμην πάντων κράτιστον εἶναι τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων.

²⁴⁾ Platon l. c. 239, 12: ὠμολογοῦμεν ἐπιστήμης οὐδέν εἶναι χρεῖτον, ἀλλὰ τοῦτο εἰς κρατεῖν, ὅπου ἀν ἐνῇ, καὶ ἡδονῆς καὶ τῶν ἄλλων ἀπάντων.

²⁵⁾ Platon Protag. p. 230, 7.

alium afferre locum, ubi Socrates ita loquitur: „Putasne, o beate vir, huic aliquam deesse virtutem, qui norit bona omnia prorsus, ut affecta sunt fiuntque et fient, malave similiter. Eumque virum indigere temperantia et justitia putas sanctitateve, cui soli competit, ut tam divina quam humana bona et mala prudenter intelligat, devitet haec, apprehendat illa, quique recte cum omnibus vivere norit?“²⁶⁾ Sicut ipse vita sua plenam atque perfectam cognoscendi, volendi et agendi congruentiam atque harmoniam expressit²⁷⁾, ita et in aliis rectae scientiae et voluntatem et actionem sponte securitas esse putavit fierique omnino non posse, ut qui cognovisset, quid bonum esset ac justum, deligeret injustitiam²⁸⁾; qui bene de rebus existimaret, quidquam aliud quam quod esset optimum ageret²⁹⁾; grave ac difficile esse, in quo inesset scientia, in eo aliud quidquam dominari et huc et illuc eum quasi mancipium trahere³⁰⁾. Etsi nihilominus multi eorum, qui speciem magnae scientiae praese ferrent, famam suam conspergerent vita inhonesta, eos judicavit nec sapientes nec prudentes esse³¹⁾.

8. Haec mihi videtur esse Socratis de virtutis natura doctrina, quam ipse fatetur Platon per difficilem esse cognitum. Unde etiam factum videmus, ut fere omnes Socratem sophistarum more paradoxiam dixisse putarent ideoque ut sophistam eum illuderent. Id si ita est, magnopere interesse et ad rem obscuram illustrandam valde idoneum putamus examinare, quid hac de re maximi antiquitatis philosophi, Platon, qui et ipse Socratem audierat, et Aristoteles senserint et docuerint.

Ac primum quidem quamvis non semper pro certo dici possit, quae in Platonicis dialegis sit sententia Socratis quaeve Platonis, tamen multa sunt, quae nos credere jubeant, discipulum ne hac quidem in re longe a praceptoris doctrina declinasse. Primum enim, ut omittamus, quod sane magni momenti est, omnem Platonis philosophiam ex doctrina Socratica produisse ut ex radice arborem, quid ei in causa erat, tam longe lateque hac de re disputare, si non ipse, quod probare et ratione comprehendere aperte nititur, pro vero habuisset? Tum autem, id quod rem, si cui possit esse dubia, decernit et quaestionem solvit, adeo ut non opus sit, plura afferre argumenta, Platon ipse expressis verbis declarat, sibi quidem Socratis sententiam probari, quamvis sit difficilis ad intelligendum, minime vero vulgo, quem non concedat, quod et comprehendere non possit.

9. Quod de Platone, non pariter dici potest de Aristotele. Qui, quid de sententia illa Socratis judicaverit, ipse apertis verbis indicat ita scribens: „Quae proprie appellatur virtus (*καρδία*), sine prudentia stare non potest. Itaque virtutes omnes prudentias esse dicunt. Et Socrates quidem partim recte quaerebat, partim errabat. Nam quod virtutes omnes prudentias esse putabat, in hoc errabat; quod autem eas non vacare prudentia arbitrabatur, pulchre

²⁶⁾ Platon Laches p. 295, 10.

²⁷⁾ Platon Laches p. 271, 8 sq.

²⁸⁾ Arist. Magn. Mor. I. 9, 1187 a 9.

²⁹⁾ Arist. Eth. Nicom. VII. 3, 1145 b 27.

³⁰⁾ Arist. I. c.

³¹⁾ Xenoph. Mem. III. 9, 4.

dicebat . . . Itaque Socrates virtutes rationes esse existimabat; omnes enim scientias esse: nos autem cum scientia conjunctas³²⁾.“

Tenendum igitur est, Aristotelem non eodem ac Socratem sensu virtutem scientiam esse credidisse. Illud sane constat, eum acriter impugnasse, quod inde deducebat Socrates, virtutes et doceri et discendo percipi posse. Quod si verum sit, inde conjicit Aristoteles, etiam doctrinam de moribus nihil aliud esse quam theoriam quandam non plane diversam ab aliis doctrinis i. e. sistema quoddam dogmatum ethicorum arte inter se cohaerentium. Rem autem non ita se habere, semel atque iterum affirmare non desinit. Magnam et maximam differentiam esse inter doctrinam de moribus et alias doctrinas. Quae dum ex principio quodam summo ut a re non dubia singulas scientias ut ex fonte quodam communi ducant, ethicam talem, ut ita dicam, constructionem a priori faciendam minime admittere, quod non pertineat ad res universales, sed ad singulares³³⁾. Ceterum imprimis in ethica inter sermones, qui de perturbationibus animi et actionibus habeantur, eos, qui ad genus universum spectent, aliquanto esse inaniores; qui vero partes et res singulares explicent, veriores. In rebus enim singularibus consistere actiones³⁴⁾. Quare et ipsum negotium illud, de rebus ethicis disserendi, se non suscepisse affirmat cognitionis causa (*θεωρίας ἐνέργεια*), quod non cognitionis causa quaerendum sit, quid sit virtus, sed potius considerandum, quomodo actiones obeundae sint atque exercendae³⁵⁾. Omnes de perturbationibus animi et de actionibus sermones minorem fidem facere quam facta, quamvis non sint inutiles; videri enim sermones veros (*οἱ ἀληθεῖς τῶν λόγων*) non solum ad cognitionem, verum etiam ad vitam bene degendam esse perutiles³⁶⁾. Ubi de rebus ethicis agatur, minime sufficere solam scientiam, sed accedere debere actionem bonam. Ad virtutes comparandas scientiam parum aut nihil valere, cetera vero non parvam vim habere, sed multo maximam atque adeo omnem. Justos et temperantes effici justis ac temperatis actionibus, his autem neglectis neminem unquam virum bonum futurum. Qui vero haec agere non curantes, ad verba confugientes philosophari se arbitrentur itaque sperent futurum, ut boni sint, eos non multum ab aegris differe, qui medicos studiose quidem ac diligenter audiant, sed nihil eorum, quae ab illis praecipientur, facere velint³⁷⁾. His omnibus, quae pleraque ipsius Aristotelis verbis attulimus, quis non videt notari et refelli Socratis de virtute doctrinam?

10. Jam si causam indagamus, quare Aristoteles hoc modo tam acriter Socratis doctrinam impugnaverit, vel hanc invenimus potissimum, quod Aristoteles plane aliud virtutis principium et radicem statui debere existimavit. Virtutem enim definiebat esse *ἔξιν προαιρετικήν*. *Προαιρεσίς*

³²⁾ Eth. Nicom. VI. 13, 1144 b 17.

³³⁾ Eth. Nicom. VII. 5, 1147 a 3.

³⁴⁾ Eth. Nicom. II. 7, 1107 a 28 sq.

³⁵⁾ Eth. Nicom. II. 2, 1103 b 26 sq.

³⁶⁾ Eth. Nicom. X. 1, 1172 b 4.

³⁷⁾ Eth. Nicom. II. 3, 1105 b 5 sq. — Cf. Prantl, über die dianoetischen Tugenden in der nikomachischen Ethik des Aristoteles (München, 1852) S. 7. 8.

autem illa est ὅρεξις βούλευτική i. e. appetitus ad consultandum idoneus³⁸⁾, et alibi προαίρεσις ἀντεῖη βούλευτική ὅρεξις τῶν ἐφ' ἡμῶν³⁹⁾ i. e. earum rerum, quae in nostra potestate sunt, appetitus ex consultatione proveniens, et iterum alio loco dicit, consilium (προαίρεσις) mentem esse ad appetendum excitantem aut appetitum cogitandi vim habentem⁴⁰⁾. Illud autem consilium actionis est principium, unde motus proficiscitur⁴¹⁾. Consilii autem capiendi principium est appetitus et ratio ea, quae finem aliquem sibi propositum habet⁴²⁾. Licet inde videre, Aristotelem ut principium actionis bonae omnisque virtutis ethicae statuisse voluntatem eamque liberam. Socrates vero virtutem nihil aliud esse obtinens quam scientiam, omnium omnino virtutum principium ac radicem principalem quaesiisse Aristoteli videbatur in solo intellectu, id quod omnino fieri non posse recte judicabat. Desiderabat ergo in definitione Socratica essentiale cuiuscunq[ue] virtutis elementum, liberum scilicet arbitrium. Hoc certe sensu intellexit, quod Socrates dixerat, virtutem, quod esset scientia, sub doctrina cadere, descendere percipi et doceri posse, et peccata nonnisi per ignorantiam committi. Cujus rei argumentum est, quod legimus Eth. Nicom. III. 7, 1113 b 12: Quod si honesta et turpia agere nostri arbitrii est, similiter non agere (hoc autem erat bonos et malos esse), nostri quoque arbitrii erit profecto, ut probi et improbi simus. Jam vero quod dicitur „sponte improbus nemo nec invitus beatus ullus est“, partim falsum partim verum esse videtur. Nam invitus beatus est nemo, vitiositas autem sponte nostra contrahitur. Testimonio sunt his cum ea, quae privatim a singulis, tum ea, quae publice a latoribus legum fieri solent⁴³⁾. Contendit ergo Aristoteles, in arbitrio hominis positum esse, utrum bonus sit an malus, non in scientia aut inscientia; principium bonarum vel malarum actionum hominis esse arbitrium, non ut Socrates affirmaverit, scientiam aut ignorantiam.

11. At jam vidimus supra, minime Socratem a virtutis notione exclusisse voluntatis operationem, immo potius ut certam et necessariam supposuisse. Talem enim cogitabat scientiam esse, qualis sua vi ita moveret voluntatem, ut necessitate quadam et bene velle et bene agere inde sequeatur. Atque ita cogitasse Socratem, minime fugisse videtur Platonis discipulum, at falsam esse opinionem istam persuasum habebat. Et revera si quomodo Aristoteles scientiae notionem et munus definierit consideraverimus, jam ne nobis quidem mirum erit, cur virtutem scientiam esse plane comprehendere non potuerit. Scientia enim ejus (θεωρία) et actio (πρᾶξις) insuperabili hiatu ab invicem sunt separatae. Distinguebat enim, id quod Socrati nunquam in mentem venerat, duas animae rationalis (λόγον ἔχον, cui opponitur τὸ ἄλογον) partes, unam, qua res eas, quarum principia aliter sese habere non possunt, alteram, qua eas, quae hoc vel illo modo evenire possunt, cernimus, illam τὸ ἐπιστημονικὸν (i. e. μέρος ψυχῆς), hanc nunc λογιστικὸν, nunc βούλευτικὸν, nunc

³⁸⁾ Eth. Nicom. VI. 2, 1139 a 24.

³⁹⁾ Eth. Nicom. III. 5, 1113 a 12.

⁴⁰⁾ Eth. Nicom. VI. 3, 1139 b 5.

⁴¹⁾ I. c. a 31.

⁴²⁾ I. c. a 34.

⁴³⁾ Cf. Magn. Mor. I. 9, 1187 a 9.

δοξαστικὸν vocans⁴⁴⁾). Utriusque harum partium optimus habitus ejusdem appellatur *virtus*⁴⁵⁾. Optimus τοῦ ἐπιστημονικοῦ habitus est *sapientia*, quae virtutes dianoeticas secundi ordinis, ut ita dicam, mentem et scientiam amplectitur, vel ad quam mens progreditur per scientiam. Ipsa est scientiarum omnium acuratissima. „Sapientem enim oportet non ea solum intelligere, quae ex principiis colliguntur, sed etiam in principiis versantem de iis vere loqui vereque sentire. Itaque sapientem dicere licebit esse tum mentem, tum scientiam, ac scientiam quidem rerum honoratissimarum, quasi capitis instar obtinentem⁴⁶⁾“.

12. Huic autem cognitioni theoreticae (*διάνοια θεωρητική*), cuius optimus habitus tres illae virtutes, quas modo significavimus, intellectuales sunt, proprium est, nihil ut moveat⁴⁷⁾ nihilque ex ea redeat praeter contemplationem⁴⁸⁾. Quare Aristoteles non dubitat summam sapientiam *σοφίαν οὐδεμιᾶς γενέσεως* appellare⁴⁹⁾. Quae quum ita sint, minime consequi existimat, ut sapiens simul et prudens et bonus debeat esse. Nec mirum. Pertinet enim sapientia ad eas quidem res, quae sunt honore dignissimae natura⁵⁰⁾, ad recondita multa atque eximia quae-dam atque admirabilia ac difficilia et divina, sed inutilia, et, ut brevi dicam, ad ea omnia, quae necessario sunt⁵¹⁾ et aliter se habere non possunt, non ad bona neque per se neque ea, quae homini bona sunt atque utilia. In illis autem, quae aliter esse non possunt, neque προαιρέσις admittitur neque εἰδονλία, quae sunt conditiones bene recteque agendi. Nemo enim deliberat de re, quae aliter esse non potest; de iis, quae sciuntur, nulla consultatio est. Ubi autem προαιρέσις non habet locum, ibi nec actio exsistit bona. Quare scientia, in qua nulla est προαιρέσις, non potest principium esse agendi.

13. Est vero alia etiam scientia, quam vocat Aristoteles practicam quaeque spectat ad eas res, quae aliter se habere possunt, et in his ad illa potissimum, quae bona sunt atque utilia. Haec scientia, quae, ut mox videbimus, una cum appetitu (*όρεξις*) notionem efficit prudentiae (*φρόνησις*), „non solum rerum est universarum, sed debent ei notae esse etiam res singulares; ad agendum enim idonea est, in rebus autem singularibus omnis actio versatur. Itaque cum hic nonnulli inscii sunt ad agendum scientibus aptiores et compositiores, tum in aliis rebus ii, qui sunt usu periti... Danda igitur opera est, ut vel utramque cognitionem habeamus, vel hanc potius quam illam⁵²⁾“.

Ac ne hanc quidem scientiam dici

⁴⁴⁾ Arist. Eth. Nicom. VI. 1, 1139 a 5 sq.

⁴⁵⁾ Arist. I. c. Potest inde conjici, Aristotelem duas tantum virtutes intellectuales distinguere, sapientiam videlicet et prudentiam, quarum illa est optimus habitus τοῦ ἐπιστημονικοῦ, haec τοῦ λογιστικοῦ, id quod etiam innuere videtur his verbis: *Tί μὲν οὖν ἔστιν ἡ σοφία καὶ ἡ φρόνησις καὶ περὶ τίνα τυγχάνει ἔχατέρα οὖσα, καὶ ὅτι ἄλλον τῆς ψυχῆς μορίον ἀρετὴ ἔχατέρα, εἴρηται.* I. c. VI. 12, 1143 b. 14. Cf. Prantl I. c. S. 14.

⁴⁶⁾ I. c. VI. 7, 1141 a 20.

⁴⁷⁾ I. c. VI. 2, 1139 a 36: *διάνοια δ' αὐτῇ οὐδὲν κινεῖ.*

⁴⁸⁾ I. c. X. 7, 1177 b 2: *οὐδὲν γὰρ ἀπ' αὐτῆς γίνεται παρὰ τῷ θεωρῆσαι.*

⁴⁹⁾ I. c. VI. 13, 1143 b 20.

⁵⁰⁾ Arist. I. c. VI. 7, 1141 b 9.

⁵¹⁾ Arist. I. c. VI. 6, 1140 b 1.

⁵²⁾ I. c. VI. 1141 b 15 sq.

potest movere voluntatem et actiones honestas producere; sed ut virtus *φρονήσεως* se manifestet bonis actionibus, efficit appetitus (*όρεξις*), qui adjunctus est scientiae, non vero haec ipsa. Quod ita esse legenti Eth. Nicom. VII. 3, 4, 5 certum erit atque exploratum. Ibi enim Aristoteles contra Socratem et eos, qui omnia tribuant scientiae, ostendere nititur, saepissime, id quod Socrates fieri posse negaverat, homines praeter id quod iis potius esse visum est agere. Ac si quis dicat, opinionem esse, non scientiam, praeter quam incontinenter homines vivant, nihil referre, quum nonnulli eorum, qui aliqua de re opinentur, non sint incerti neque dubii, sed certo se rem scire existiment et nihilominus praeter hanc suam persuasionem agant.

Ita Aristoteles aperte demonstrasse sibi videbatur, falsum esse, quod Socrates dixerat, virtutem esse scientiam. Quocunque enim scientiae genus consideras, seu theoreticum seu practicum, neutrum in se vim habet ac vigorem, voluntatem ad bene recteque agendum impellendi: neque illud, quod pertinet ad res, quae aliter se habere non possunt, in quibus ergo nulla est consultatio nullaque *προαίρεσις*, sine quibus actio bona non potest cogitari; neque hoc, quia spectat quidem ad res, quae aliter esse possunt quaeque bona sunt vel mala, non tamen, nisi accedat *όρεξις*, principium agendi fieri potest.

13. Sed jam restat, ut examinemus, quid senserit Aristoteles de sciendi et agendi connectione, vel quaenam ratio intercedat inter scientiam et virtutem. Latere eum non potuit, veram virtutem sine cujuscunque generis scientia vix cogitari posse. Postquam igitur ostendit, virtutem medium positam esse inter nimium et parum, medium autem ita esse, ut recta ratio praescribat, hoc nondum sufficere ratus ad bonum rectumque semper diligendum, libro VI Eth. Nicom. arctius distinguere et explicare studet, quae sit recta ratio quaeque hujus definitio. Atque hic per longam et valde difficultem de virtutibus intellectualibus institutam disquisitionem⁵³⁾ ad notionem pervenit prudentiae (*φρόνησις*), quam partem essentialem omnis virtutis existimat, ita quidem, ut sit regula atque mensura virtutum ethicarum. Haec autem prudentia, ut jam observavimus et nunc paucis ostendemus, nihil aliud est quam cognitio vel scientia, cui adjunctus est appetitus. Mentis enim agitatio, quae est cognitio, non est solum theoretica, ut vidimus, sed etiam poetica et, quod hic vel maximum est, practica⁵⁴⁾. Mens enim, cuius opus est τὸ ἀληθὲς, potest etiam societatem quandam inire cum appetitu (*όρεξις* seu τὸ ὁρεκτικόν), qui principium est movendi, — ita tamen ut et ipse moveatur a re videlicet appetenda, quae aut bona est aut certe bona esse videtur⁵⁵⁾ — et qui spectat ad bonum, τὸ ὁρθὸν, et quidem bonum practicum⁵⁶⁾. Quodsi ita rerum principia

⁵³⁾ Non absona mihi videtur esse sententia Zelleri, cuius magna hac in re esse debet auctoritas, totam illam quaestionem institutam esse ob illum solum finem, ut quid sit prudentia quodque ejus munus, clariore in luce appareat. Cf. Zeller, die Philosophie der Griechen. II. 2. S. 502. Not. 2.

⁵⁴⁾ Arist. Met. E. p. 122: ὥστε εἰ πᾶσα διάνοια ἡ πρακτικὴ ἡ ποιητικὴ ἡ θεωρητικὴ κ. τ. λ.

⁵⁵⁾ Cf. Arist. de anima III. 10: διὸ αὐτὸι κινεῖ μὲν τὸ ὁρεκτικὸν, ἀλλὰ τοῦτον ἡ τὸ ἀγαθὸν τὸ φαινόμενον ἀγαθὸν, οὐ πᾶν δὲ, ἀλλὰ τὸ πρακτὸν ἀγαθόν.

⁵⁶⁾ I. c.

mente rationeque apprehenduntur, ut se manifestent singulis actionibus honestis, si igitur conveniunt mentis et voluntatis operationes, jam illa exoritur virtus, quae vocatur prudentia (φρόνησις) quaeque proprie virtus est ejus animae partis, quam vocat Aristoteles τὸ λογιστικὸν vel τὸ δοξαστικόν. Partes igitur quoddammodo prudentiae sunt ὁρεξίς et διάνοια i. e. voluntas et intelligentia intima societate ita conjunctae, ut ὁρεξίς sit βουλευτική⁵⁷⁾ i. e. appetitus ad consultandum idoneus, vel λογιστική (quia idem est βουλεύεσθαι ac λογίζεσθαι)⁵⁸⁾ continens τὸ ὀρεκτικὸν simul et τὸ λογιστικὸν, et altera ex parte cognitio sit simul practica i. e. ad agendum idonea⁵⁹⁾, adeo ut ejus animae partis, quae ad agendum et cogitandum valet, opus sit veritas conspirans et congruens cum appetitu recto⁶⁰⁾. Itaque in virtute prudentiae cognitio et appetitio quodammodo convenient et efficiunt cognitionem, quae quum per se nihil moveat, nunc ad agendum est idonea: cognitio theoretica simul et practica.

Haec est illa prudentia, qua virtutem vacare non posse arbitrabatur Aristoteles. Ejus enim munus est, ut rectae rationi, quae medium inter nimium et parum indicat, moderetur. Quare regula atque mensura est omnium virtutum, quae ad mores pertinent, et una est virtus, cum qua ceterae omnes praesto adsunt⁶¹⁾. Quae quum ita sint, vel dici potest, virtutes ethicas non posse ab invicem separari.

14. Jamjam eo pervenimus, ut, quae dicta sunt paucis comprehendentes, possimus judicare, quanam sit differentia inter Socratis et Aristotelis hac de re doctrinam. Ille enim contendit, virtutem esse scientiam i. e. summum et primum quamquam non unicum locum in virtute deberi scientiae, quae sua vi ac sponte ad bene recteque agendum perducat; hic virtutem non sine scientia esse existimat, locum igitur dat scientiae, sed quasi secundum, quum primus assignandus sit appetitioni (ὁρεξίς), i. e. voluntati. Virtutem esse scientiam Socrates affirmit, Aristoteles, scientiam esse partem essentialiem virtutis.

15. Aristotelem etiam hac in re secutus est Thomas Aquinas, inter scholasticos primus, cuius auctoritas etiam hodie maxima est in ecclesia. Ubi enim virtutes intellectuales et morales et earum ab invicem distinctionem exponit, omnia fere, quae Aristoteles docuerat, repetit et de quaestione, quam proposuimus, ita loquitur: „Posuerunt igitur quidam, quod omnia principia activa, quae sunt in homine hoc modo se habent ad rationem (i. e. rationi obediunt omnino ad nutum absque omni contradictione). Quod quidem si verum esset, sufficeret, quod ratio esset perfecta ad bene agendum. Unde quum virtus sit habitus, quo perficiuntur ad bene agendum, sequeretur, quod in sola ratione esset, et sic nulla virtus

⁵⁷⁾ Arist. Eth. Nicom. VI. 2, 1139 a 23.

⁵⁸⁾ I. e. VI. 2, 1139 a 13.

⁵⁹⁾ Arist. I. e. VI. 2, 1139 a 27: αὗτη μὲν οὖν ἡ διάνοια καὶ ἡ ἀλήθεια πρακτική.

⁶⁰⁾ Arist. I. e. VI. 2, 30: τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ τὴν ἀλήθειαν ὁμολόγως ἔχοντα τὴν ὁρεξίαν τὴν ὁρεγήν.

⁶¹⁾ I. e. VI. 12, 1145 a 2.

esset omni intellegentia. Et haec fuit opinio Socratis, qui dixit, omnes virtutes esse prudentias, ut dicitur in sexto Ethicorum, unde ponebat, quod homo, scientia in eo existente, peccare non poterat, sed quicunque peccabat, peccabat propter ignorantiam. Hoc autem procedit ex suppositione falsa. Pars enim appetitiva obedit rationi non omnino ad nutum, sed cum aliqua contradictione⁶²⁾.

Et ubi quaestiones solvit, num moralis virtus possit esse sine intellectuali, et intellectualis sine morali, virtutes intellectuales, sola excepta prudentia, cui proprium sit, ut pertineat ad actiones vel ut sit practica, sine virtutibus moralibus esse posse docet, non ita ethicas, quae quamvis sapientia, scientia et arte facile careant, tamen sine prudentia, quae requiratur, ut et finem rectum et ea, quae sunt ad finem, ostendat, et per consequens nec sine intellectu, quippe qui sit fundamentum prudentiae, cogitari non posse⁶³⁾. „Et ideo“, alio loco dicit, „etsi virtus moralis non sit recta ratio (ut Socrates dicebat), non tamen solum est secundum rationem rectam.... sed etiam oportet, quod sit cum ratione recta, ut Aristoteles dicit in VI Ethic.“⁶⁴⁾ Quae si comparantur cum illis, quae leguntur apud Aristotelem libr. VI. c. 13 Eth. Nicom., appareat, S. Thomam fines ab Aristotele circumscriptos minime hac in re esse transgressum. In verum Socratae sententiae sensum inquirere et ipse et omnes ejus sequaces praetermisserunt, et Socratem errasse pro certo habentes et scientiam partem essentialis virtutis esse contendentes hoc sensu de virtute prudentiae disseruerunt. Atque hodie etiam, scientiae magna vi in vitam hominis ad virtutem instituendam recte perspecta, qui doctrinam ethicam tradunt, de officio recte colendae intelligentiae disserere solent. Et hac in re recte eos agere quis inficiabitur? Ut verum fuit, quod Aristoteles obtinuit, virtutem non sine scientia esse, ita et nos recte dicimus, sine veri bonique cognitione virtutem carere fundamento et omnibus procellis esse subjectam. Hominem scientia destitutum cum S. Thoma contendimus similem esse equo caeco celeriter currenti, qui tanto fortius impinget et laedetur, quanto fortius incurrit. At numquid de nobis praedicare possumus, quasi hoc modo Socratis sententiam ad verum rectumque sensum reduxerimus? Vere non melius Aristotele, quem vidimus partem veritatis, non plenam atque integrum veritatem dicti Socrati perspexisse.

16. Nec tamen admodum difficile est, in veritate christiana invenire sententiam non plane diversam a Socratis placito. Quum maximi antiquitatis viri scientiam agendi vim et vigorem in se habentem mente assequi non potuerunt, et num hoc fieri omnino possit, jure meritoque dubitarunt, et hanc ob causam satis habuerunt, cum Aristotele cognoscere, virtutem cum scientia conjunctam esse debere: in doctrina christiana, quod Socrates magis divinaverat quam rationibus probaverat, completum esse videmus. Habemus enim scientiam bene

⁶²⁾ Thomas, I. II. qu. 58 art. 2.

⁶³⁾ I. c. qu. 58 art. 4 et 5.

⁶⁴⁾ I. c. qu. 58 art. 4.

recteque agendi evim et facultatem completentem, quae est scientia per fidem, quam revera, ut fieri debere Socrates aliquando cognoverat, Deus ipse de coelo nobis apportavit. Ipse, qui est via, veritas et vita, est ille virtutis doctor docens nos hominem veritatem, quem frustra Socrates inter mortales quaesiverat. Cujus scientia qui imbutus est, qui scientiam illam, quam praestat fides, assecutus atque tota mente et corde amplexus est, eum hac cum fide omnes simul virtutes habere dici potest. Nec enim vera fides secundum ecclesiae doctrinam infructuosa est et quasi mortua, sed vere viva et vivifica, unde principium fit agendi, voluntatem movet et bonis actionibus se manifestare nititur. Quanquam requiritur actus voluntatis, ut homo a fide progrediatur ad actionem, tamen, ubi fides viva est et satis fortis, ubi quodammodo intuitio interna (*θεωρία*) boni facta est, ibi facile et quasi necessario ex fide prodit virtus. Tali modo fides christiana, si vere hoc nomine digna est, fit virtus, adeoque et nos eodem quo Socrates sensu dicere possimus, virtutem christianam nihil aliud esse quam scientiam i. e. scientiam per fidem seu veram fidem.

D. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Ios. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam magis aevi aetate quam a Quidam eximia tradet per hebdomadam h. XIII—XII.
- II. De bisexibus nationibus secundum scripturam per hebdomadam h. XIII—XII.
- III. Procerissima militaria ab aliis natusque Tauricis exponit semel per hebdomadam h. XIII—XII.

Dr. Ios. Thiel, P. P. O.

LECTIONES.

- I. Historiam Geometricam et quae per se sunt de Jovis.
 - II. De Quidam et de Cypriano.
 - III. Geometria et trigonometria.
- Dr. Ios. Bender, P. P. O.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam aevi recentioris tradet quotidie h. IX—X.
- II. De antiquitatibus ecclesiasticis disserere perget diebus Martis et Veneris h. VI—VII.
- III. Repetitiones et disputationes de historia ecclesiastica instituet die Jovis h. VI—VII.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

- I. Apologeticas partem reliquam tradet dieb. Lunae et Mercurii h. II, Saturni h. X.
- II. De ss. Sacramentis et de rebus post mortem futuris disseret dieb. Lunae, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris h. X.
- III. Repetitiones expositivas ordinis per hebdomadam h. XI—XII.

Dr. Ant. Pohlmann, P. P. O.

- I. Prophetas minores interpretabitur diebus Martis, Jovis et Saturni h. VIII—IX.
- II. S. Pauli ad Romanos epistolam explicabit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.
- III. Repetitiones expositivas instituet semel per hebdomadam horis definiendas.

Dr. Franc. Dittrich.

- I. Theologiae moralis partem generalem docebit diebus Lunae, Mercurii, Veneris, Saturni h. XI—XII.
- II. Historiam literariam scriptorum ecclesiasticorum enarrabit diebus Martis et Jovis h. XI—XII.
- III. Historiam artis christiana tradere perget bis per hebdomadem horis definiendas.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebd. h. VIII—IX.
- II. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret bis per hebd. h. VIII—IX.
- III. Praemissa universa de linguarum scientia disputatione primordia ac fata linguae Theotiscae exponet semel per hebd. h. VIII—IX.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit h. XI—XII diebus Lunae et Jovis.
- II. De Chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis et Veneris h. XI—XII.
- III. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet, et de globis igneis et stellis transvolantibus disseret diebus Lunae et Jovis h. II—III et d. Mercurii h. XI—XII.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O.

- I. Aeschyli Agamemnonem interpretabit quater per hebdomadem h. X—XI.
- II. Persii satiras explicabit bis per hebdomadem h. X—XI.
- III. Minucii Felicis Octavium explicabit bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebd. hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. E.

- I. Psychologiam docebit ter per hebdomadem h. IX.
- II. Metaphysicen tradet ter per hebdomadem h. IX.
- III. Aristotelis Metaphysicen interpretabit bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Plantarum phanerogamicarum ordines explicabit bis per hebdomadem horis definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

- Biblioteca, cui praeest **Prof. Dr. Thiel**, commilitonibus patet diebus Martis et Veneris h. II—III.
- Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt**.

Renuntiatio

judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiore inito, et quaestionum in currentem annum propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum pro certamine litterario has quaestiones proposuerat:

- I. Ex stipendio Scheill-Bussiano: „Exponatur status scholarum et litterarum sub Carolo Magno.“
 II. Ex instituto Regio: „Differentia illa, quae de tempore coenae ultimae paschalis a Christo Domino celebratae inter Joannem Evangelistam cum Synopticis intercedere videtur, ita discutiatur et diluatur, ut facili modo harmoniae Evangelicae cedat.“

Opusculum de priore traditum his insignitur Ciceronis Tuscul. disput. I. 2.
 „Honos alit artes omnesque incenduntur ad studia gloria.“

Quod etsi pluribus vitiis minoribus, imprimis oratione aspera et incompta, labore, tamen generatim quaestioni propositae sollerter et feliciter satisfecit, ita ut praemio dignum judicari queat. Aperta schedula innotuit:

Josephus Kuhn, stud. theol.

Dissertatio de altera exhibita his s. Lucae 22, 15 inscribitur:

„Ἐπιθυμία ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν, πρὸ τοῦ μεπαθεῖν.“

Auctor uberi plerumque ac nitido sermonis genere usus est, diversas diversorum sententias copiose ac plane exposuit, suo judicio ponderavit, itaque ad ea quae proposita erant viam sibi munivit satis expeditam. Desiderantur quidem alia, alia accuratius erant explicanda; multum vero auctoris diligentia commendatur ingeniique sollertia. Quare Ordo Theologorum eum praemio dignum recte judicavit. Reclusa charta prodiit:

Augustinus Fuhg, cleric.

Ab Ordine Philosophorum ex instituto Regio quaestio proposita erat haec:

„Episcoporum Warmiensium de coloniarum in Warmiam deductione et villarum civitatumque fundatarum constitutione merita exponantur.“

Duae commentationes patria lingua conscriptae Ordini tradita sunt, una *Plastwigii* verbis insignita:

"Domino auxiliante etc."

altera symbolo:

"O mirabilem providentiam etc."

Utraque laudem diligentiae in investigandis et examinandis fontibus meretur, et quamquam non pauca, quae exponi debebant, in utraque neglecta, alia non satis perspecta, plura etiam a re aliena admixta sunt, in universum tamen utraque quaestioni propositae satisfacit. Sed prioris scriptio aucto competitorem suum, quum maturitate iudicandi, tum rerum ad coloniarum constitutionem pertinentium

accuratori expositione superat. Hunc igitur, cuius commentatio inscripta est: „Domino auxiliante etc.“, Ordo philosophorum dignum judicavit, quem praemio ornaret; alterum vero honoris causa nominandum decrevit. Itaque resignatis schedulis vitor renuntiatur.

Johannes Jablonski, stud. philos.

publice autem collaudatur.

Rudolphus Laemmer, stud. philos.

In sequentem annum commilitonibus Lycei Regii Hosiani quaestiones proponunter hae:

ab Ordine Theologorum

- I. Ex praemio Scheill-Bussiano: „In quibus de matrimonio differant ecclesia Orientalis et Occidentalis, explicetur ipsisque ex fontibus illustretur.“
- II. Ex instituto Regio: „Illustretur, quantum religio Christiana generis humani progressum felicitatemque in hac quoque vita promoverit.“

ab Ordine Philosophorum

- I. Ex instituto Regio: „Plato et Aristoteles quid cum de omni poësi tum de arte drammatica senserint exponatur; sententiae inter se comparentur imprimis imitationis (μημέσεως) ratione habita et quo vinculo earum discrepantia cum alterutrius philosophi ingenio sit conjuncta dijudicetur.“

Omnes certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante d. XV. Januarii MDCCCLXIX Rectori Lycei tradendae sunt. Praemia vitoribus constituta XXV. Imp.

Promulgatum in solennibus **Serenissimi Regis Guilelmi I.** mataliciis d. XXII. Martii Ann. MDCCCLXVIII.